

IN LAVDEM
HENRICI
OCTAVI, RE-
gis Angliæ præstantiß.
carmen Panegi-
ricum.

ANNO DOMINI.
1560.

Sereniſsimæ Auguſtiſsimæque Herôinæ. D. Elizabethæ Dei gratia Angliæ Franciæ, Hiberniæq; Reginæ, &c.

magni illius Henrici octaui Anglorum Regis filiæ, Dominæ ſuæ clementiſsimæ colendiſsimæ.

Ectora Priamidē, laudari voce paterna
Fuuit: laudati laus ſtetit ore viri.
Si iuuat, & maior laudato laus ſtat in ore,
Quæ laus, laudato eſt a genitore ſeri?
Lætus erat Priami gnatus, laudāte parēte:
Lætior a tali ſe genitore ſatum.
Tu tanto (Regina) potes tibi laudis aceruo
Adijcere, Henrici nomina magna patris.
Quo maior noſtris nunquā Rex præfuit oris:
Optima, iam tali es laude patris, melior.
Sic tibi laudati, longum fœliciter anni
Proueniant, titulis exuperentq; nouis,

Vt nihil auguſto fuerit te ſanguine creta,
Dignius, auguſtũ quam ſimulare patrem.
Tam ſimilis vultu quũ ſis, ſpecioſa virago,
Fac ſimilis referas, maxima facta patris.
Ille quidem læto excepit munuſcula vultu
Quæ parua, at grata lata fuere manu.
Tu (precor) accipias, animi redeũtis in omẽ
Hanc, licet exilem, quæ tibi ſtræna datur.

Ad librum.

ANno principium constituit nouo
Janus, bicipiti limite, terminus
Exacti orbiculi, & ianua tẽporis
Instantis, rediuiuo hic vbi semine,
Fœcundi gremium sol rediens soli
Implebit genitor: quô facie noua,
Siluarum virides extuberent comæ.
Nam cœli rigor, & frigoris impetus
Paulatimq; gelu, nix quoq; candida,
Discedent, hiemis tela potentia,
Et cedent Zephyro, qui pater optimus
Veris, prata nouis vestit odoribus
Ornans omnigenis herbida floſculis.
Tam grato volucres munere concitæ,
Vocali ferient omne nemus sono,
Et valles, ferient saxa sed & sono,
Argutum querulæ dum repetunt Melos.
En, campis teneri luxuriant greges,
Non vltra madidi iam memores Noti,

En ludit medijs ſquammigerum pecus
Vndis exiliens: vſq; adeo iuuat
Laſciuire animos, quos recreat calor.
Ergo hoc & memores pignore concitos,
Spe plenos, docuit fidus amor viros,
Strænas, complacitis munera Amiculis,
Certo more Patrûm, mutua mittere,
Optantes, reſeret Sydere proſpero
Anni principium, lætus vt exitus.
Non damnant placitis Chriſticolæ nouis
Quod pulchri ſpecimen fluxit ab Ethnicis
Quin dant: & memores hoc potius dabunt,
Quod Ianus melior, iam reſerat nouo
Exemplo, renouis Chriſticolis ſacros
Poſtes, ætherei regna ſimul Poli.
Nam faſtos bene ſi mente reuoluimus,
Infans Pontificis ſcinditur hoc die
Cultro, qui ſuperis venit ab ædibus,
Captiuos Barathro perpetuo datos,
Exemptos proprio ſanguine reddere.
Quare, nil dubitans, ipſe ego iam paro
Quod dem: ſi placido Iuppiter accipit
Vultu,

Vultu, quod tenuis, pronus at obtulit?
An eſt, quod timeam? ne Iouis edita
Regina a cerebro, deſpiciat meum
Tantillum, aſt alacri pectore proditum
Munus? non faciet. Quare age, nudior
Oſtendas, animi quam mihi diuitis
Portas, pauperies obſtruat inuida:
Hoc do quod ſupereſt. perge, liber tere
Auguſtas ſemel, atq; hoc ſatis eſt, manus.

Angliæ præstantiss. Carmen Panegiricum.

Audabunt alij fœcũdæ pignora Romæ.
Tot monumenta Ducum, vasto quos extulit orbi
Fama volans: Quis non Pompeij, & Cæsaris acta,
Scipiadûmq;, animo admirans, ter lecta recondit?
Sunt alij, Graijs Ducibus præconia palmæ
Qui tribuant: Doctis hic iam depromit Athænis
Fortia facta virûm: mauult hic dicere Alumnos
Sparta tuos: cuncti at meritis super æthera tollunt
Pellæum iuuenem, Phebeæ lampadis instar,
Ipse suis maior vitijs, virtutibus altis,
Cætera Graiorum, qui obduxit gesta virorum.
Omniaq; hæc, Latio cultu, Graioq; nitore,
Pulchra quidem per se, reddent pulcherrima ab arte.
Me pietas, atq; ipsa etiam indignatio partim
Propulit, vt patriæ primum decus, hactenus vltro

Quem indictum, muto ore silent tot pectora docta
Angligenûm, hic tenui, conarer dicere versu
Multa prius genium, cunctanti mente, precatus
Tanti hominis, ne tantillo indignetur ab ore
Laudari, primis si paulo instructior annis,
Dedocili insuetas, repetam nunc carmine Musas.
Ergo age, quisquis eris, cui se liber offeret iste,
Henricum octauum referens, qui sceptra Britanna,
Imperio dudum longo florentia rexit,
Mente, manuq; valens: quoniam diuersa sequentes
Sunt aliqui, fortasse, minus qui candida promant,
Ignari causarum, alieno & pectora ductu
Imbuti, satagant Herôa lacessere dictis,
Extincto seu quis barbam vulsisse Leoni,
Iam pauide attrectans, at paulo audacior instet:
Ne queso accedas, animo peiora sequuto
Quin potius næuos, multa virtute rependens,
Dispicito, an iusta, poteris texisse litura.
Primum equidem, si quis hæc vltima tempora secli
Iamque senescentis, iamque in peiora ruentis,

Discutiat

Discutiat? quem non communi labe petitûm,
Inueniet peccare per agros, atque per vrbes?
Vsque adeò, vt merito dici queat optimus ille,
Quem minimò inuoluit, denigrans fama reatu.
Quo minus id mirum est, si fortunatior, & Rex,
Indulsit genio, admittens quandoque proterua,
At non immani, veniam superantia facto:
Quum Reges peccare bonos, male suada voluptas,
Et faciat laxis, secura licentia habænis
Nullius insolita ferulam subeunte magistri,
Iam Regûm palma: quorum est sibi nota potestas,
Quid liceat, laudemque minus libuisse meretur,
Si summis tantum digitis, libamina carpant
Parca voluptatum, quas fertilis Aula ministrat.
Quanto etiam pluris, si non abstemius, est is,
Qui minus accipiat, quo maior copia rerum,
Quàm si quem prohibet metus, aut vis, duraue egestas.
Hic igitur, longo Regûm de sanguine cretus,
Pene puer, dicicit sceptris succedere Auitis
Iam iuuenis, iam Rex, iam se præstantior ipso,

Si ſpectes animi ſublimis pignora, docto
Quem Muſæ fouere ſinu, Charitesq; lepore,
Dotarunt gratæ, multa grauitate loquelæ.
Vſque adeò, vt populo facturus verba, Legatis
Aut regûm, aut cuiuis de re quacumque adeunti,
Sic potuit varijs, cultiſſima promere linguis,
Non minus vt cunctos facundia tanta moueret,
Quàm geſtus, vultusque, nihil non amabile ſpirans.
Nam, velut ex ipſo quis iudicet vngue Leonem,
Sic etiam, poſitis inſignibus, ille alieno
Diſſimulans ſi forte per vrbem exiret amictu,
Cognoſcendi auidus mentem, moresque Popelli,
Non potuit cupiens, ignota fallere veſte,
Quin ſpecie, atque ipſo greſſu, ſublimior eſſe,
Quam mentiretur, vulgo appareret, & alta
Ingrediens, ceruice tenus turbæ ſupereſſet
Attonitæ, humano ſeu quiddam auguſtius ore
Cerneret, oblatu fixo: Nam membra decora,
Prætereo prudens, & quæ ſi ſingula carptim
Perſequar, immenſum, flagitent iuſtumq; volumen.

Hoc

Hoc equidem affirmem, neque me ſententia fallit:
Quum pulchra excellat forma gens Angla, decusque
Præferat ingenui, vix vnquam ruſtica, vultus,
Vicerat ille omnes tunc pulchros, pulchrior vnus:
Tanta fuit ſacræ, Maieſtas regia, formæ.
Quam ne quis formam tantum putet, illita ſeu quis
Pulchri hominis, picta deſignet membra tabella,
Non hic corpus erat ſine mente, ſed acer, & aptus,
Preſtitit, ingenuo quæ liber corpore præſtat:
Aequales veræ preuertens munere Palmæ.
Nam patrio certis mætam, de more, ſagittis
Figere, neruoſo lunantem robore taxum,
Tam bene, vix olim Herculei didicere lacerti:
Si lucta certaret, erat cui viribus impar
Inuideat Pollux, quercinæ frondis honorem.
At bellacis equi, in giros ſi fortia colla
Flecteret, artifici pertractans voce, manuque,
Caſtora iam diceres: idem ſi lucidus arma
Indueret, galeam nutanti vertice Criſta
Cui decus, & multo thorax ſuperadderet auro,

Hoc erat Iliacum ſuperare vel Hectora: ſiluas
Venator multo ſi cum cane, retia ceruis
Intendens peteret, non ſi Theſeia proles
Hippolitus, Triuiæ perdoctus voce magiſtræ,
Idem ageret, maius poſſet decus inde referre.

Sed quid ego hæc memorẽ? que Plebi ſingula cordi
Sic fuerant, ſic ore viri, pendentia contra
Ora attolenti, & lachrimis ſua gaudia faſſæ,
Vt neque vel niſu quis commendatior alter
Concinno foret, aut quem vellet grata venuſtas,
Quidlibet egregium, magis oſtentare decore:
Vſque adeò, arriſit, ſpetioſo e corpore, virtus
Gratior, & placitæ reſpondens actio formæ.

At ſi animum ſpectes, quo longe excelluit Heros,
Quantus erat? quanta & regnandi prædítus arte,
Conſilij ſemper conſtantis prætulit auſa?
Fortiter incumbens, dum magnus magna capeſſit,
Nil humili verſare manu dignatus, at alto
Contendens Reges, ſeq́ ipſum æquare labore?
Namque vno eximios illa ætas tempore, Reges

Quum

Quum ternos ferret, quos formidanda poteſtas,
Sic aljs longo, preuexerat interuallo,
Vt quarta, aut ſexta demum ſubſiſtere claſſe,
Cætera iam Regum, properaret turba minorum,
Quûmque animos iuſto maiores, conſcia virtus
Hinc faceret Gallo, qui damnis ſepe repulſus,
Fortior, indomitæ exemplo conſurgeret Hydræ,
Hinc etiam Hiſpano generoſa ſuperbia, pectus
Extimulans, & tot Regnorum larga facultas,
Cæſareo cunctos, inſtaret ſubdere ſceptro.
Tertius hic medium noſter ſe ingeſſit: vtrique
Alterno, quandoqne hoſtis, quandoque & amicus,
Conſilio: illorum & ſeſe conatibus, vltro
Oppoſuit, trutina aduerſos dum penſitat æqua:
Sic etenim, imperij quoniam exitioſa libido
Hos agitans, firma nunqàm conſiſtere pace
Paſſa diu eſt, quin ſepe nouas cauſata querelas,
Inſtructos paribus, in prælia truderet armis,
Vnde etiam tremeret, quaſſata Europa, tumultu
Horriſono, in partes ſeſe iam tota refundens:

Quanto rectius hic, ſtudio meliora ſecutus?
Quum prohibere minas amborum, inmataque bella
Haud potuit, tantis miſcentûm vulnera dextris,
At potuit prohibere, altrum ne vinceret alter.
Atque ita, ſi alteruter preſtaret ſorte fauente,
Iamque inſtans, iugulum victtricia tela pararet
Figere in alterius, quo iunctis viribus auctus
Tunc vacuo ſolus, poſſit dominarier orbi:
Haud tulit vlterius graſſantem, noſter Achilles,
Supremo bellum confectum ornare trophæo:
Quin ipſis prædam extorquens de faucibus hoſti,
Auxilium victo, inſperato tempore ferret.
Vi remoræ, plenis velis ſiſtente carinam,
Dum media curſu, prohibere longius vti.
Sic etenim, Papiæ fertur ſub mœnibus altis,
Anglica Cæſareas, fouiſſe pecunia turmas:
Qua ſine (ſcimus enim) tunc non te (Galle) tuliſſet
Iactabunda ſuis captiuum Hiſpania clauſtris.
Qua ſine, Thelephio non rurſus more redemptus,
Ex vna ferres medicinam, & vulnera dextra.

Taliter

Taliter ille olim, ſummo qui vertice ab Idæ
Troianos Danais lento certamine contra
Conſtituens, nunc hos, nunc & Saturnius illos
Vincere permiſit dubius, quæ ſi quis ab Anglo
Dicta putet, ſtudio res qui Anglas iactet inani,
Ille vel Henrici ſaltem incunabula Regis
Diſpiciat: primis & quæ pulcherrima ab annis
Edidit, aduerſo Ludoici lilia Marte
Concutiens, Gallosq; vnus qui tempore eodem
Flectere frena metu, & calcaria ſubdere anhelis
Fecit equis: vnde ille dies calcaria Gallis
Enſibus intactis potiora oſtendet in æuum:
Fredifragosq; abſens, inſtantes tergore Scotos,
Immaniq; ipſum proſtrauit vulnere Regem:
Demens, qui fidei firmum connubia vinclum,
Sordidius pacto Galli poſtponeret auro.
At non inſurgens, atq; inſperatior ille,
Abſentis fines populatus Scotus amici,
Sic potuit validis iuuenem diuertere coeptis:
Quo minus inſignes multa vi, fortiter vrbes

Concutiens, binas tandem expugnaret, ademptas
Gallorum imperio: qui tanquàm numine ferri
Immissum inuicto cernentes, fata verenti
Iudicio, geniumq; viri exhorrescere tandem
Incipiunt: placidas artes, pactis Hymeneis
Versantes, si sic firmo consistere vinclo
Pax queat. At Gallis quisnam hoc vertisse pudori
Dictitet? a magno pacem deposcere Rege?
Cuius in adiunctis, Cæsar stipendia castris,
Sic meruit presens, vt iam vexilla nigranti
Sparsa Aquila, fului sequerentur signa Leonis?
Quod decus haud vnquàm temere quis vendicet alter:
Augusto comitante alieni prelia ductus.
Nesciat vt dubij, tandem sententia vulgi,
Gloria vtrum maior sibi Cæsare parta legato est?
Cæsaris an titulis quod spretis, cesserat vltro,
Austriacum mallens defuncti ornare Nepotem?
Sic etenim, terris sublato Cæsare, postquam
Iam nouus auspitijs Cæsar de more, creandus
Esset, & ambigerent, quem primum voce referrent,

Huic

Huic patuiſſe (ferunt) procerûm ſeptemuira vota,
Quos penes arbitriũ eſt, quem Cæſaris inſula adornet.
Inſula: in humanis, que preſtantiſſima rebus,
Inſolitam hoc primum renuente, es paſſa repulſam.
Quo ſpecimen cernas, iuncta pietate, modeſti
Principis, haud vnquam temerè, longinqua petaci
Ambitione furens qui ſtringeret, aut mare cœlo
Commiſcens, altam vellet turbare quietem
Tot miſere populorum, ob non ſibi debita regna,
Regna, alijs adeo, per faſque nefaſq; petita.
Quorſum etenim cuperet, maiora capeſcere ſceptra?
Conſcius hic, quantis flueret ſibi terra beata
Diuitijs? generi humano quas copia largo
Promeret ex cornu? cui non ipſa Itala Tellus
Anteferens, gremio recte ſe præferat almo?
Siue ſolum ſpectes, vbi certat fertile amœno,
Siue ſitum? portus tutos maris inſula noſtri
Quot preſtet, longo ſe extendens maxima tractu?
Vix vnquam miſeris aliquá non hoſpita Nautis:
Inſula, que vndiſono Occeani circundata vallo,

Tutior ipſa viris, rarò vim reppulit, vltro
Aſt inferre manum didicit: qua fretus, inerti
Bellaces animos, tandem tabeſcere pace,
Haud tulit: aut nimio, pacem deſueſcere bello,
Optimus hic cenſor, quid tempore preſtet vtroque.
Pacis amans potius, ſi pax ſine Marte cruento
Innocuos poſſit, tuto exercere ligones.
At ſi bella forent (nam crebro bella peregit)
Suſcipienda, animo hoc ſeſe commiſit arænæ
Ille, vel vlturus, ſi quæ ſibi damna priores
Vicini inferrent, vel ſi quis iuſtius æquo
Vicinum premeret, clipeo tecturus: iniquam
Cautior, haud vnquam paſſus prorumpere ſortem,
In caput alterius: namque hoc libramine tutos
Europæ populos, ſtatuit ſua iura tueri
Poſſe diu, multa cum libertate minores,
Si non vnius, ſceptra ambitioſa Monarchæ,
Inſolita demum ferrent ceruice, iubentis
Quidlibet, exundantem vbi littora nulla coercent.
Sic igitur cauſæ communis, ſydere dextro

Pro-

Protector, docuit, quantum prudentia possit:
Sepe salutaris velut interiectio, rebus
Humanis statuens, quæ tandem meta, modusque:
Quod quia magnanimo, toties patefecerat auso,
Discite mortales, quam veris gloria fulcris
Huic stetit: hic etenim dictus diuersa per ora,
Arbiter & belli, & pacis, cognomine pulchro,
Tale decus meruit, titulo spetiosius omni,
Quale decus, nulli veterum tribuere triumphi.
Hoc erat, æquato Reges incedere gressu,
Quodque suis docuit se quemque includere septis.
At si de genere hoc, pergam numerosa duella
Distinctim longa serie pretexere, certe,
Nunc liber exiguus, nimium procresceret: Ergo
Historiæ potius scriptoribus illa relinquam.
Nam neque vel toties deuictos ordine Scotos,
Aut ipsam gentis quæ flammis cesserat, vrbem
Metropolim, vel tot castella euersa per agros,
Hic canere est animus: nec te fœcunda beatis
Que spatiosa aruis, numerosa classe, querelam

Gallia, non vnam propter, tam ſæpè petita es.
Gallia, vicinis non vno crimine læſis,
Crimine ſed nullo, prorſus quæ inuiſior extas,
Quam quo degeneri, iam Rex tuus vnus & alter
Conſilio, immani inuxit ſocia agmina Turcæ:
Quem cuncti & merito, vitant cane peius & angue:
Teque vel inprimis procul hinc arcere decebat
Saltem pre tituli pugnantem laude prioris,
Quod quoniam inter vos ſic conuenit, eſto: ſupernus
Viderit iſta Deus, quorſum hec audacia creſcet?
Sed præſtat reuocare gradum, & quo tendimus ire
Iamdudum properamus enim, Mauorte relicto,
Flectere equos, diuæ Pacis per amœna vireta.
Ergo vale Mars quære alium, qui carmine digno
Fortius hec reſonet, quæque & tibi munera curæ,
Arma, enſes, clipeos, arcus, tormenta, phalangas.
Et claſſes, quarum Oceanus ſub mole, fatetur
Se toties preſſum, vix auſum ſurgere contra.
Vaſtatasque vrbes, & te obſidione petitam,
Tandem ſemirutis, deiecta Bononia muris:

Sis licet, ac vel ſola, operis pulcherrima iuſti
Materies, liceat ſicco pede, maxima queque hæc
Pretereuntem, in pacis opaca ſilentia ferri.
Pacis enim quis non bona, ſæuis præferat armis?
Ergò ades, o Henrice iterum ter maxime, laudes
Ipſe tuas, ſtellis admixtus, diſpice ab alto,
Afflatu & ſuperæ, refocilla lætior auræ.
Sed tanquàm varijs, diſtinctum floribus hortum
Ingrediens, nouitate ipſa ſtupet anxius, huic, an
Huic flori admoueat digitos? ea copia pulchro
Giriuagos oculos, aſpectu diſtrahit, omnes
In partes, neque habet quem tandem ptæferat altri:
Sic mihi iam dubio, facies pulcherrima rerum,
Ingeritur, neque turba ſinit diſcernere, primum
Quid dicam: ſed prima gradu prudentia primum
Ipſa locum meruiſſe poteſt: certiſſima Diuûm
Progenies, cœlo demiſſa, vt regibus aſtet,
Et Regum ad virtutis opus, conamina flectat:
Proſpiciens, parteis oculos verſanſque per omneis
Iugiter incumbensque in publica commoda, noctes

Inuigilans curis, dum plæbs ſecurior altum
Stertendo ſatagit tandem edormiſcere villum.
Haud aliter, medio quam cum ſua carbaſa ponto,
Vncta ratis, celeri pulſu infert nocte ſerena:
Cuncta ſilent, nautas nox intempeſta quieti,
Ordine neglecto, paſſim per tranſtra ſupinans,
Indulgere iubet, ſomnumque ciere reflando
Solus, at inſomni temoni adfiſtere dextra,
Nauclerus didicit, patulo ſua lumina cœlo
Intendens, ventosque cauens, ſi forte procella
Ingruat, & placidi faciem maris obruat vndis:
Surgite nunc ſocij, exclamat, nunc tempus inerti
Amplius haud ſomno, ſuadent triuiſſe pericla:
Et ſæuus leuam, ventis crepitantibus, Auſter
Paulatim inuadens: video, quid turbine acuto,
Occeano exſurgens, nubes hæc fuſca minetur.
Ferte manus celeres, verſis incumbite velis:
Ipſe ego, ſi dictis alacres parebitis vltro,
Preueniam, & tuto, nauim hanc in littore ſiſtam,
Hic, vbi vicino portus ſe prouehit ore.

Hec

Hec fatus, diuersa viros in munia transfert:
Illi acuunt se voce, manuq; haud segnius instant.
Taliter, Henrico prudens solertia pectus
Instruxit, longe ante diem cauisse pericla,
Et vitasse simul: nam vix nocuisse parato,
Siue hominum insidiæ, seu fata minantia possunt
Tum valido insistit clipeo sapientia tecta.
Primum igitur, Regis munus constare regendo,
Dum reputat, frustraq; minas proferre tonantes,
Quem populi nimium corrupta licentia temnat:
Rursus, ab insidijs nullo conamine tutum,
Hunc licet assiduus, claudat de more Satelles,
Quem gens tota odio communi deuouet orco:
Ille quidem studuit, Proceres, populumq; Britannum,
Conciliare sibi, & medio connectere vinclo:
Vt neque vel nimio, iam despondisse rigore,
Aut animos nimio, iam possent tollere fastu.
Qualis equus, cui incautus eques male laxat habænas,
Saltibus indomitis, se in deuia proripienti,
Aut ferus, assiduis pertundit terga flagellis,

Degeneriſq; aſini, cogit portare clitellas.
Quod noſter ſumma, extremum vitabat ab arte,
Hinc, atque inde malum: nam vectigalia iuſtum
Qui miſero imponit Populo excedentia pondus,
Qui ve cneroſa nimis iubet, aut nimis imperioſe
Contendit, ſine lege ruens, pro lege teneri,
Hic equidem ſeruæ, mandans ſeruilia plæbi,
Nunquàm alacri vtetur poſt in certamina, parce
Pectore tunc ictus aduerſos ſuſcipienti,
Si fortaſſe lareſque, focoſq;, & pignora chara,
Obiciant non ſe ſibi, ſed ſeruare Tyranno.
Qui tunc mentis inops, alieno milite fruſtra,
Ignotis patriamque volet defendere dextris:
Ipſe ſuis diffiſus, & obſeruans velut hoſtes.
Contra, vbi iam lente nimium, reſupina poteſtas
Fluctuat, & quiduis populo concedit, inani
Conſilio plauſus captans, quos tempore paruo
Congeſtos, poſt excipiet plæbs bruta cachinno,
Spernere docta virum; ſic indulgere paratum,
Ille etiam ſero vellet cohibere vagantes,

Mu-

Maiestate carens: nam dudum bellua plæbs hæc,
Dididicit timuisse Deum, timuisse iubentis
Imperium, qui sic precibus iubet ense reposto.
Quare etiam Henrico stetit hec sententia, facto
Nolle suos, indigna suis, committere turpi,
Siue indigna pati, queq; & gens libera nollet,
Imperium auersata iubentis, murmure longo.
Sic lente durus, venerabilis extitit: vltro
Que iussit, facili populo concredere sueto,
Esse quidem pro re communi, ea mentibus hæsit
Credulitas, nihil hunc frustra molirier, esse,
Esse aliquid, licet hoc celauerat ille repostum,
Cur subito agricolas bellis obuerteret? aut cur
Iam reuocans, rursus vellet committere aratro?
Perdociles, sacris obfixos postibus enses
Ponere, & antiquo terram proscindere sulco?
Rem facile augentes secura per otia, festis
Ludicra, festiua cum libertate, diebus
Tractantes, multoque obeuntes stulta cachinno
Stultior hæc quoniam plæbs vult sibi seria molli

Aſpernata animo: quæ cernens ſingula paſtor
Hic populi, tacito gaudebat pectore, ſigna
Sic ea letitiæ hos dare publica: quæ ſimul ille
Et tulit, & preſens promouit, triſtibus auſis,
Seria vix vnquàm fauſtè, tractante popello.
Nam veluti frondes veris quæ tempore planta
Arborea emittit, patulis & poſtea ramis
Florificans, ſpondet numeroſum denique fructum:
At ſi degeneri, ſqualeſcat percita muſco,
Liuentem cui rara comam gemma emicat inter,
Fronti nullus honos, ſpectante cacumine terram,
Exemplò, Agricolæ ſpes omnis trunca relabi
Incipit, haud vanis ex ſignis conjcienti,
Aegrotare ſibi ſtirpem hanc radicibus imis:
Sic Populus, feſto redimitus tempora flore,
Si ludit, cantûsque ciet, ſi ter pede terram
Ingeminans pulſat, choreas per compita ducens,
Mille modis vario, commiſcens omnia plauſu,
Si bibit, atque inter calices, ſua facta recenſet
Fortia, ſi bardis operam dans, auribus adſtat,

Dum

Dum magno ingentes nugas molimine, cantant
Ad citharam, ille arcu contendit, at ille paleſtra,
Proiicit hic magno, connixus robore ſaxum,
Hic agili præceps, iactat ſua corpora ſaltu,
Victor ouat, laudemque & præmia lauta reportat,
Que ſero gaudet ſenior ſeruaſſe nepoti:
Hæc, mihi ſi claro, peragat plebs omnia ſole,
Nil dubitans veris ſe efferre coloribus, vt quæ
Natiuam ingenue teſtetur ſimplicitatem,
Quis non hæc animi tranquilli, candida dicat
Argumenta fore? & puro de pectore labi?
Qualia nequicquàm, ſimulandi neſcia, fingat,
Si mutare ſtatum iuſta indignatio vellet.
Qualiter econtrà, ſi quis mihi pinxerit, alto
Torpentem merore animi, & conſortia plebem
Que fugiat, niſi quæ ſecretas ferre per vmbras
Tendit, vbi hos cœtus, nox intempeſta coegit,
Nil ſanum querula, triſtis iam voce ſuſurrat,
Dira ſed in Regem iaciens, lectumque ſenatum,
Paulatim induitur ſic coniurata, rebelli

Pectore: iamque parat sceleri se accincta, nefandos
Si quis in arma viros, dux profligatior, vltro
Educat, speciosa foris pretendere doctus,
Intus at immani versans crudelia coepto.
Heu superi: quis nam hos docuit malesana scientes
Consilia exercere? quis vltra quàm decet, altum
Hos voluit sapere? & censuram denique rerum
Sumere? num scire, aut nimium scire, officit istis?
Quis regat hos vnus? quorum vel quilibet instet
Consilio iniussus se inferre, exquirere et idem
Omnia non dubitet, rationibus vsque minutis?
Et damnet, minimũ quod non sibi quadret ad vnguẽ?
Talia sed mota, peragit plæbs effera turba,
Cum furit, & longo iamdudum pondere pressa,
Tandem (animos faciat seu desperatio) surgit
In rabiem conuersa, feris truculentior ipsis.
Ni caueat, memori voluens prognostica mente,
Qui regere hos Princeps, exemplo primus honesti
Debuit, haud æqua arguiturus voce Popellum,
Qui magno exemplo, docuit peccare minores

Aut

Aut nimis indulgens, pectare per otia plebem
Sustinuit, (namque otia sunt fomenta malorum)
Aut malefacta in prima imprudens negligit herba
Corripere, arboreo que temnunt corpore falcem,
Post, vbi per plures morbi contagio creuit,
Aut miseros tandem, veluti ludibria, & vmbras
Negligit, aut alijs ridens exponit insultos,
Quod genus vt fastus, verum est insigne Tyranni,
Sic nullo grauius commotos pungit ab œstro,
Quam si despiceat, quorum vltor debuit esse.

Namque hominem sociale animal natura creasse
Cum voluit, certo iungentem fœdere cœtus,
Vtile communi quo tandem quilibet vsu
Perciperet, magno sese dum corpore miscet,
Membra quidem statuit prone spectantia terram,
Imperio capitis subdens, vbi sacra superni
Lucet imago Dei, quo distribuente, cuique
Iam membro accedit rata pars, & cuique suum ius.
Præcipue imbelles protectos vindice dextra,
Dum metuit temerare virûm manus improba, corpus

Non vno ciuile modo quæ deſtruat, audax
In ſcelus, atque manu ſtringens aliena rapaci,
Ni caput occurrens, horum compeſcere diros
Inſultus ſatagat: qualem ſe feruida pullis
Criſtati prębet coniux enixa mariti,
Perfidus in gyrum penna ſe prepete Miluus
Si flectens, ventri inconceſſam quæritet eſcam.
Quid faciant pulli? ni iamdudum anxia mater,
Inſtantem panidæ ſoboli, perterritet hoſtem?
Lurconem, dum voce minax, & ſubmouet alis?
Taliter (vt paruis, componere maxima fax ſit)
Dia Deum proles, nobis Aſtræa, ſalubri
Iuſtitia humanos trutinans ſic temperat actus,
Vt neque perfidiæ ſedem, violentia tetra
Inueniat, quam Diua procul cernicibus arcet,
Iamdudum ſuetam miſerorum ſanguine paſci,
Nec vana ſurdas plebs aures voce fatiget,
Cui nihil arborum eſt præter lamenta, preceſque,
Læſa ſuis dum ſe gaudet refouere ſub alis,
Iam placido innocuam, producens tramite vitam.

Hæc illa eſt igitur virtutum maxima: iuſto
Quæ tanquàm regina alijs virtutibus anteit.
Immotos oculos obuincens faſcibus, enſe
Erecto cui dextra riget, cui læua bilancem
Suſtinet: hæc olim propriè ſeu ſymbola recti,
Maiores (Aſtræa) tuis ſuperaddere ſignis
Gaudebant: animis ea dum verſatur imago,
Sæpe ſalutaris venerati numinis vſum:
Qua ſine, non pietas, non aut clementia inani
Nomine, labenti patriæ ſuccurrere pergant,
Dum malè condonant, manſueto pectore culpas,
Ferro opus eſt, vbi nunc contendit ferrea proles,
Inſcriptas tabulis ſacris perrumpere leges.
Quas niſi iuſticiæ cingant adamantina clauſtra,
Durior hæc ætas hominum violauerit vltro.
Quod prudens longo Henricus cognouit ab vſu,
Quo ſe proripiat populus mala beſtia, legum
Ni multo cuſtode, tenor ſeruetur ad vnguem.
Iunior hic etenim, dum forſan mite benigni
Principis ingenium precibus miſeratio flectit,

Non vni indulsit, non vno crimine turpi.
At cum ignoscendo tandem perceperat, vnus
Quanta nocens toti, dimissus damna maniplo
Inferat? audaci ingeminans sua crimina facto?
Noluit vlterius, iam clemens dicier vni
Parcere sed multis, duxit mansuetius esse,
Parcere quam soli, qui nollet parcere multis.
Ergò metum duxit vinclum prestantius esse,
Quo populus temerè mores mutatus in horas,
Stare loco possit, crudæ formidine pœnæ,
Quam si indulgentem vitijs, vitiosior horæ
Momento tantum plæbs diligat, huic amor est nam
Recti odium: & nullo bacchanter currere freno.
Quod si aliquis damnet rigidi sic Principis arctum
Imperium, populo scriptas qui sanguine leges
Proponat? quodam tenus hoc fortasse fatendum est.
Tempora, si & mores, si non & plurimus vsus,
Arguerent, humana magis meminisse pericli
Pectora, quàm si quid lætum, aut gratum accidat illis,
Ingrata obliti benefacta recondere mente,

At memori dociles animo proponere acerba,
Que passa, aut patienda, reuoluunt nocte dieq;.
At si Regis opus, gladio stat vindice? noxa
Stirpitus a puro vt sic tollatur grege? quisnam
Iam pius, aut clemens magis est? qui monstrat aperte
Quid caueant, claris edicens singula scriptis,
An qui securos, legum leuitate fefellit?
Longa quibus vitij obduxit tolerantia, callum?
Postque nouo exemplo, iusso, pro legibus vsus,
Armatos populo immittit? (suprema potestas
Si bene supremum imperium sic exerit) vna
Iam plures perimens, longe crudelior, hora?
Quàm qui vnum perimens, plures seruauerat vno?
Sed metus hic pœnæ, in paucos quæ exercita, paucis
Exemplis stetit, haud facile est dixisse, potentum
Quam bene conatus compresserit, ilicet istis
Olim vicino coniunctus pauper agello,
Tam male vicini, sensit mandata Potentis,
Vt ni cuncta clieus, obnoxius vsq; patrono,
Perficeret, nuta, que iusserat ille superbo,

Actum erat istius de re, de bobus, & agro.
Quære nouas sedes, aiebat diues, inultus
Haud patiar quin tu quis ego sim, & tu quoq; qui sis,
Ipse malo edoctus tandem fateare tuomet.
Quid faciat pauper? tremulo cui torpet in ore,
Lingua affixa metu? an etiam Mastigia pergis
Mutire? haud equidem fas sit (Patrone) benignus
Tolle tuas instar (quæso) mihi fulminis iras:
Tolle tuum quodcunque meum est: vel me quoq; tolle,
Dummodo pace tua, communi perfruar aura.
Hec olim Henricus damnãs male sueta potentum
Imperia iniusto miseros torquentia fastu,
Vlterius vetuit Cumani obtendere Aselli,
Mentitam populo hos, magno sub nomine laruam.
Non solum in medio, regni seu corde, tribunal
Supremum cingens numeroso iudice, liteis
Antiquo de more statis qui mensibus omni
Discuterent populo, pauper ne obscurus, an aurum,
An genus, & Proauos iactet, discrimine nullo,
Quinetiam, binas diuersis addidit oris,

Iusti-

Iuſtitiæ ſedes, vbi preſide nixa poteſtas
Lecta virûm, puchro incœpto præſentius illis
Ius poſſit dictare, loci diſtantia forte
Quos potuit retinere domi, ni teſte propinquo
Legis opem poſſent ſentire parabilis: vnde
Idem erat extremis qui ignotior abforet oris,
Tam facile vſurus legum munimine, quàm qui
Verba palatino propior Regi explicat ore.
Hoc erat, hoc igitur, quo demum robore fulta
Plæbs potuit tuto tandem coluiſſe potentes,
Quod ſatis eſſet, & vlterius nihil addere ſupplex.
Mitius imperium reputans, dum ſeruiat vni,
Ille licet pro iure ſuis regaliter inſtet,
Quàm multis dare multa, per & non debita iura.
Iure etenim cuſtode fruens, intenta labori,
Mille modis victum plæbs ingenioſa parabit.
Rem ſatagens arcti parcendo augere peculi.
Qualis ſtramineo que ſe formica ſub antro,
Exercet, nunque huc, nunc ſædula fertur & illuc,
Torrida flauentes dum campos occupat æſtas,

Abroſam condens, miranda per horrea, meſſem.
Quo genio indulgens, torpentis tempore brumæ,
Promat opes, parcos bene quas ſeruarat in vſus
Nil metuens, ni vim metuat contemptior Vrſi:
Qui ferus imbelles, perrumpens vngue cauernas,
Sæpe ſolet plæbis nigrantis corpore veſci.
Nequicquàm que parca Dapes cuſtodiat, ipſa
Cum cuſtodis egens, laniata per ilia, dentem
Suſcipit, at quanto ſatius cuſtodia firma,
Iam toto miſeræ, frugum redimatur aceruo?
Taliter & populus, non vna induſtrius arte,
Pauxillo paucum adijciens, diteſcere pergit.
Beſtiolæ exemplo trantillæ edoctior, annis
Quid valeat ſeris aliquid tribuiſſe repoſtum.
Quod vos non vobis (Ciues) ſeruaſſe repoſtum,
Quis ferat? aſt alijs ſeruauerit ille repoſtum,
Quiſquis opes cumulare parat, cuſtode remoto,
Fortior imbelli quas aufert, nomine predæ.
Ergò pios iuſtis qui vos ſub legibus, altæ
Pace fouent, prono venerati pectore Reges,

Diſcite

Diſcite, quando opus eſt, in publica munera, quiſque
Que rata pars, illis veſtri tribuiſſe peculi.
Si datis, exiguo totum quis non bene ſeruat?
Non datis, exiguo totum quis non male perdit?
Quæ veſtro ingrate, Regi pendiſſe tributa
Reſpuitis, per vim vobis poſt auferet hoſtis,
Ingeminans, diro nectens vos compede, charis
Coniugibus, veſtrisq; illudens ſæpe puellis,
Quas ante ora patrum, non vno crimine turpes,
Efficiet iuuenum manus improba, vos quoque mœſtos,
Non lachryma vultus liceat ſtillante rigantes,
Hæc prece iam tarda, ludibria tetra vitare,
Quin oculis etiam coram obuerſetur imago.
Nam voces tunc & dominorum, & verbera, victa
Iam ceruice pati, & laribus dicedere auitis,
Sic male congeſtum, linquentes hoſtibus aurum,
Inſtructasque dapes, pretioſæ & vellera lanæ,
Non illos pridem, que tondebantur in vſus,
Et quæcunque nouo exemplo, committere victor
Audeat, haud animo victi renuente recuſent.

Quidquid erit, vincenda proteruia ſæua ferendo eſt.
Proh ſuperi: horrendum hoc omen diuertite noſtris
A laribus: Domino & Regi ſeruire Britanno,
Ingenuo ingenui pergamus, tempora Phœbus
Annua dum repetit vaſti certamine curſus.
Dum calet æther, & aerio flant corpore venti,
Dum refluis lunæq; vices mare ſentit in vndis,
Et medio tellus dum fert ſua pondera centro.
Quare age. tu qui Anglo gaudes vir nomine, gaude,
Si tibi pauxillo libertas ære redempta,
Tam bene fortunas demum ſeruauerit omnes.
Forte putes ſtultus ſi quid tibi deperit, vltra
Quam cupias propria cuſtodiuiſſe ſub arca,
Non bene communi, quod ſic committitur arcæ.
At ſi qui ditat, de te iam diuite tollens,
Sic tibi perpetuo fœlicia tempora curſu,
Proroget, ipſe tui cingens te milite nummi,
Non video cur non liceat, ſemperque licebit,
Tollere quod ſatis eſt, Princeps pius haud petet vltra,
Haudque alio quàm quo deceat vel iure, modoue.

Sic

Sic, licet Henricum, vicina potentia Regum
Iam nimio excreſcens, ſuperaddere plura coegit
Maiorum pridem quam vectigalia, ſtultis
Forte rapina fuit: prudentibus at mera virtus.
Tempore ſcire ſuo, non magna augere tributa,
Cui res vſque foret cum talibus, omnia dudum
In decuplum geminaſſe ſuis, quos non piguit, ne
Forte aliquid deſit, totum ſitientibus orbem.
At licet inuidiæ, rumpantur & ilia, morſu,
Nonnullis, quibus hoc augere æraria, totum
Diſplicet, haud aliam pro re, pro tempore, formam
Qui ſtatuant, licet hinc, atq; vrgeat inde neceſſe,
Quàm qua maiorum, proceſſit curta ſupellex,
Scire velim: noſtris vnquàm que tempora rebus
Ingruerint, metuenda magis, pro mole pericli,
Aut metuenda minus, tali ſub Rege repulſa?
Scire velim: ſi tam durum ſit tollere, quando
Ditior extiterit nobis Reſpublica? Res et
Quæ priuata, priori longe opulentior æuo,
Tollere de magno, audacter ſuadebat aceruo?

Hoc quoque ſcire velim: tollentem paucula damnans,
Liuide, cur potius non ipſa ad ſydera tollis?
Millia qui làrgo tibi fœnore plura rependit?
Plumbea quæ inuenit pridem, poſt aurea reddens?
Aude ingrate negare. & primam, ſi potes, effer
Pauperiem: cui nunc male ſuada opulentia turget,
Luxu Aſiæ, cui menſa Apici, cui tecta Luculli,
Concedant ebore, & ſignis, pictisq; tapætis.
Cuique peregrino cultu, non barbara coniux,
Aſſidet, ipſa comas nodo gemmante reuincta.
Quid dico vrbanos? vel ſi ſe ruſticus offert,
Quam nitidus? quantum & victu mutatus ab illo
Iam fuerit? Zithum ſeclo ructaſſe priori
Cui magnum fuit, at nihil eſt nunc vina diebus
Et vel non feſtis, madido tribuiſſe palato?
Luditur, & veſtitur, & eſtur, quod Sybaritæ
Inuideant: tu ſtulte putas, hec omnia macris,
A tenui & vacua depromi poſſe Pharetra?
Non ego: nec tanti fraudarim præmia facti,
Solus in immenſas, quod ſe demittere curas

Suſtinuit, toto procurans pro grege Paſtor,
Dum toties totum tibi ſuſtinet, alter vt Atlas.
Si neſcis: num rere aliud tunc temporis actum,
Quum tua diſpoſitis caſtellis littora in orbem
Cinxerat? & portus non vna mole reuinxit?
Ne qua manus noſtris, ſuccedens aduena terris,
Hoſtilem incautis poſſet diuertere prædam?
Quid? mare, tam pulchra & validatibi claſſe, ſubactũ
Quod dedit? exempli ceptor, quo ſi ſapit, vltro
Vtetur Regum ſtirps poſtera, doctior vſu,
Quam proſit, patriam muris cinxiſſe abiegnis,
Hijs, quibus in media, res & ſpes, ſiſtitur vnda?
Arte noua puppis dum plurima, turribus altis
Altior, edomitum imperioſa perambulat æquor?
At nihil eſt, nobis ſic vltima littora reddi
Tuta foris: ſi non medio lectiſſima regno,
Corpora fida virûm, muro præſentius omni
Auxilium, patriæ conducens ære perenni,
Martis opus, pacem voluit vigilare per altam.
Quid? quod nobilium, ſobolem ſummiſit equorum?

Longinqua quæ ſtirpe, vterum, per paſcua læta
Himnifremæ complens, generoſo ſemine, matri,
Theſſala nunc Anglis, Nomadûmq; armẽta, reponit?
Quid? quod & Aetnæum ſpirans de faucibus ignem,
Aenea terribili, reboat nunc machina bombo,
Paſſim omni digeſta loco? Nam cætera belli
Inſtrumenta, domi, atque foris, quæ prouidus vſq;
Congeſſit, ſileam ne? opera vel vanus eadem,
Enumerem, Thameſi ripas quota cingit arundo?
Ardua quot nobis paſcantur per iuga Damæ?
Quotque canum, nemus omne latranti voce, remugit,
Angla tuis (Diana) ſacris, operata iuuentus
Cum vacat, alipedes ſectans per deuia ceruos?
Hec ille aſſidua meditatus mente, ſuorum
Certa ſalus, certo quo ſtans pede, falleret hoſtem,
Non vllis potuit iam parcere ſumptibus & quo
Salua foret nobis res, nullis vſque pepercit.
Ergò ne magnificum, fœcundi pectoris auſum,
Tot bene velle viris, populo patriam, patriæque
Seruantem populum, vox prava, & ruſtica perget,

Op-

Optima detorquens, in peſſima, lædere dictis?
Quid potuit maius cuiquam conferre, ſalute?
Quid voluit potius? tota quod mente cupiuit,
Tota opera toties tibi preſtitit: ilicet, hoc eſt,
Vir medicus, puero nonnunquàm abſinthia miſcens,
Inuitum antidoto, cautus quod ſanat amaro.
Multa prius meditans: pueri lachrimæque, preceſque,
Auerſæ, horreſcunt ingrati pocula ſucci:
Ille etiam, puero motus, nollet dare: tandem
Vincit amor veri, inuito conferre ſalutem.
At mirum ne quis putet, vnũ hunc omnibus, omni
Non ex parte, ſatis plene potuiſſe placere:
Quum pater ipſe Deum, ſummi regnator Olimpi,
Iuppiter, ætherea terras moderatus ab arce,
Incertæ nequeat plæbis, tot diſſona vota,
Et ſimul, & grato cuiuis coniungere nexu.
Si pluit? hic Boreæ canas, gelidasque pruinas.
Si riget? hic tepidos, præfert Aquilonibus imbres.
Si ſudum eſt? vernas, vocat alter Cephalus, auras.
Nymboſi exurgant, odioſo turbine venti?

Iactatus, clamat ſuperos Palinurus in vndis.
Denique quid multis opus eſt? ni Iuppiter ipſe
Proſpiciat, cunctis quid congruat aptius, vlla
Contentos homines reddet iam ſorte? beatis
Non ſi Cælicolis Chyrona adiungere vellet.
Tam vario plæbs ad preſentia nauſeat ore,
Dum cupit vlterius, quod nactum denique ſpernat.
Quare, ego vos, capitis quibus eſt reuerentia cani,
Compellem potius, maturi pectora ſenſus
Promere, quid faciat? multis qui multa reponens,
Vnus, non vnam perſonam ſuſtinet? hic, ſi
Auribus vnius tantum ſe accommodet? omni
Sibyla diſpliceat, paſſim iactante Theatro.
Eſt quod ſcire vnum ſatis eſt: male quod ſciat omnis:
Eſt pulchri, eſt quædam perfecti Idæa, repoſta
Quàm ſpecie Princeps animo proponat, inertis
Illa licet vulgi, rudiores fallat ocellos
Sic etenim, culpant que forſitan vnus, & alter,
Aut plures, non illa vno damnauerit ore
Iam populus, nec quæ aſpectu primo horrida ſqualent,

Re-

Reijcienda putet: multo laudatur ab vſu,
Difficili pulchrum quod nititur: at bene ceptis,
Annuet ipſe Deus, fœlix vt & exitus adſit.
Sic certe Henrico (tantum valet alta medullis,
Inſita credulitas, longos concreta per annos)
Non vna obijciunt multi ſe voce, priorum
Quod placita immutans, Diuùm ſpectantia cultum.
Longe alius, quam qui tantum tibi detulit olim,
Ipſe loco te (relligio Romana) mouere
Suſtinuit: migrare iubens a finibus Anglis
Teq;, tuoſque ſimul tot nomina Diua Cucullos.
Quando etiam tantum, non hinc ſectura dolorem
Sperabas, noſtris nam quo ſeiunctior oris,
Hoc ignota magis, venerandas ſanctula cluueis
Obtendens, multaque animos formidine complens,
Ignaris poteras lucroſam exponere mercem:
Si bene ſic Mœcho, proſtat ſuperûm domus auro.
Neſcio: nec ſacrorum argutus cenſor, apertis
Vocibus, hic pergam abſtruſas depromere cauſas:
Quæ noua Relligio, hunc, antiquam Relligionem

Flectere, ad exemplar primæuæ relligionis
Impulerit? multo pectus iam numine uersans?
Nam Deus hæc tam vasta, procul dubio, exerit ipse.
Commutans, adimens, flectens, quandoque reponens,
Imperia, & ritus, mores, formasque regendi,
Que steterant, rursus facie mutata recenti,
Qui iubet in Chaos antiquum, repedare per vmbras.
Hoc scio, si meritis, digne contingere iniquis,
Pœna potest? potuit, labis nunc Roma magistra,
Promeruisse, suæ quantum nil credere laruæ,
Tot gentes properant: solis nãque Anglica tellus
Non damnat votis, prius, & post, quæ potior pars
Christicolûm damnat: Romæ ne nescius erres
O Præsul: vos & comites, quos purpura vestit,
O vtinam, antiqui seruantes limina Petri
Dignius, illi etenim vestri rubor, occupat ora.
Vultis vt antiqui stet vobis gratia facti?
Pascite oues, rictu neque dilaniate lupino.
Vultis vt ipsa pedum vobis vestigia signent
Basia? sit vobis pura, & sine crimine vita.

Vultis

Vultis vt excrescant vobis tot castra? tot vrbes?
Hec habeat pauper, neu Scortum, aut Pusio tollat.
Sed nihil est: nec iam rauco clamore Theatri,
Ipse pudor vobis, desueti pectora honesti,
Amplius igniculis, plusquàm torpentia, sursum
Erigit: vsq; adeo Romæ nunc ferrea constat
Segnities, nolle vlterius resipiscere, inanes
Iactanti voces, & non sua tela mouenti.
Heu superûm domus: antiquo quæ purior æuo,
Sanguine tot Procerum, Christo incunabula regni
Fundaras, quo nunc te impuro proripis auso?
Quid struis? aut qua spe, partum decus improba, nisu
Degeneri, pergis Herebi confundere nostris?
Flecte gradum verbis colliment facta necesse est,
Nunc, vbi cum stultis, non est tibi res ideotis
Amplius, at plusquàm doctos, quos litera, telo
Instruit, inq; tuum tenebris cinctum caput armat.
Non potes ignaros, ex gnaris reddere: formis
Ars fœcunda nouis, exemplo quam queat vno,
Millia tot cudens, passim proferre librorum.

Scilicet, hoc demum, cervix tua vulnere nutat,
Quod scit, & vnde sciat, populo est reparabile parvo.
Vnum hoc demito, & antiquam sic restitues rem
Non potes? ergo etiam vitæ te redde priori,
Quo superas agilis, conscendas pauper adarcet.
Sic etenim, toto passim circumfluus orbe,
Sancta (liens iterum) suspexerit atria Petri
Atria nunc deserta, malis aut trita (vnedis.
Nam dabit hoc meritis, merito quod detrahit istis
Moribus: haud æquum est nos hæc dare, teq; ita luxu
Parta nepotino dissperdere: sedibus Ales
Si superis lapsus, iubeat concredere, nos hæc
Vt fiunt, oculis, non auribus excipiemus.
Cur igitur nobis tam noxia lumina reddis?
Cur palam? at laudes præstat memorare merentis,
Non vitia istorum percurrere, quæ Deus olim
Corriget, aut tollet: non insequor ista libenter
Quæ lippis nunc & tonsoribus ore teruntur.
Nec mihi mens, homines viuentes more vetusto,
(Sunt quoniam & Romæ) impuris cõmugere puros.

Nec

Nec tua, quæ tibi digna ſuperſunt (Roma) reuello:
Viderit hæc alius, quantum tibi deferat orbis.
Optarim potius, niueo candore micantem
Paſtorem, niueo pecori, ter lactea clauſtra,
Clauibus iugenuis, tecti reſerare ſuperni.
Optarim potius, caſtas, caſto ore ſacerdos
Effundat que preces, diuini & ſemina verbi.
Omnibus amplectendus, vt omni maior honore,
Laudetur, placeat, præſit, metuatur, ametur.
Optarim, pecus ignauum, mugitibus amplis
Quod reboat, clauſoque ciet lugubre ſub antro,
Craſſa cucullatæ mutet diſpendia vitæ,
In melius: nam ſi veſtis nunc ominis inſtar,
Turgentesque genæ, venterque abdominis alti
Theſaurus, ſpetie offendunt? ſi denique, non eſt
Solus, qui ſolo Monachum ſe nomine iactat?
Nec pauper (mirum) qui dum nil poſſidet, omni
Poſſideat villa, preſtat quod lectius? optem,
Linquat vt hæc mundi, mundo vulpecula nam ſi
Macra cauam repetat ſtrictum, quem macra ſubiit,

Forte iterum celsi, conscendet culmen Olimpi
Par leuibus ventis, volucrûmque velocior ala.
Nunc iacet, immundo gaudens, vt amica luto Sus,
Auersata oculo Phœbi renuente, nitorem.
Qualis furua, suo quæ gaudet Noctua fusco,
Iam senior, grauibusque volans cunctantius alis,
Præda auibus metuit, prædatis ne siet ipsa.
Vsque adeo, est tenuis nam venter, ab arte magister
Quærendi, quæ post perdat, ventrosior æquo.
Ergò, tuo demsit si tam bona fercula ventri,
Henricus? si tam lauta instrumenta Popinæ?
Tu quibus immeritam carnem, afflictare solebas
Crudelis? si tàm regalia claustra, per vrbes
Iam medias? (sic sola placent nãque oppida solo?)
Ne reputes, quicunque Monostica dogmata sector
Collaudas, potuisse tibi hæc sine numine tolli.
Numen erat, nimium tibi quod præcîdit: & hæc est,
Ingentis (nam exempla docent) natura ruinæ
Quæ multos congesta subit structura per annos,
Ipsa caput cœlo, satagens inferre superbum,

Mole

Mole ruit propria: terramque cacumine tangit.
Saxa imos tandem, spargens disiecta per agros,
Quæ varios aptet, rursus constructor, in vsus.
Quare, hoc Hērico, & patribus, populoq; Britāno,
Atque Deo si sic visum est? humana memento
Humano, superûm cultor, sic pectore ferre,
Vt decet: haud spectant terram cœlestia vota.
Nā manus hanc hominis, tibi qui dedit, abstulit. Ergò
Terram iure tenens, & iure iubente, relinque.
Inueniet Dominum, non vnum tempore longo
Quæ possessa manet: semel hæc te pauit, inerti
Ante suis quàm te studio, succedere castris,
Et Venus, & Veneris comites, suasere supinum.
Impiger hanc iterum vir bellicus obtinet: acri
Vtilior, patriæque vices defendere dextra,
Quàm tu, qui miseras, instas vocalior, aures
Non intellectis, Diuorum obtundere Psalmis.
Si tamen vllus erit, qui audire per otia perget.
Nam sine mente sonum, Deus indignatus, obaudit,
Agnoscens hominis formam, sed pectus Aselli.

Quod si forte, aliquis Monachorũ claustra reponat,
Horrea pauperibus pascendis structa fuisse,
Annuerim: at si tam pulchrum est dare pauperis ori,
Vir pius hoc æquè faciet iam quilibet, ac tu,
Qui velut offa, tuis tantum versaris in offis.
Scimus pauperibus quid sit dare: pauper erit mi
Moribus innocuis, qui vellet viuere paruo,
Et vixit, paruum manibus pedibusq; recondens,
Dum vires, ætasue, aut fors, meliora tulere.
Nunc etiam, mallet vitam proferre labore,
Fractior, & cui mendico, ingenuus pudor obstat.
Iam, quotus hic nostris, pauper versatur in oris?
Quis nescit? magnos, magna vi, nunc nebulones
Sic petere, vt ni des, dubites ne tollere pergant?
Quis nescit? prostrare malis nunc artibus Iros,
Impura qui voce, stipem per compita clamant
Luce tenus, multa quam post sub nocte, bibones,
Ridentes nimium facilis pia pectora vulgi,
Scorta, aleamq; inter, strepitu, rixisque profundant
Quot hominum nequam viuunt, nequissima proles.

Hanc

Hanc iube, vel mancam, vel si pede claudicat vno,
Saltem aliquid sanis, præstare per otia membris,
Nolit, cur? dulce est bene pascier, est agere et nil.
Hec ne placet superis pietas insulsa? petenti
Da facilis, mendicus erit: verum abnue, fiet
Aut Cerdo, aut quiduis: ventri namque omnia dictat
Ingeniosa fames, vacuo labor improbus instat.
At mihi si ter tot (dicat nunc Anglia mater)
Adsint, vberibus, homines quot nutrio magnis,
Dum modo gens prono contendat gnaua labore,
Me colere, ex ipsis penetralibus abdita versans,
Vna ego, ter tot, & exuperans, alimenta rependam.
Men pudor est igitur torpere per otia vobis?
Tam bene, quæ Solymæ, vincam præconia terræ?
Nam sterili infœlix essem si percita iunco,
Aut minus agricolis ferrem, lapidosa per arua,
Torrida vel vænis peterem sitientibus imbres,
Ipsa fame cogente, sibi pro lege iuuentus
Sufficeret: nãque artis opus sine lege, parata
Substituit melius, quibus est natura nouerca,

Quàm fortunatis, quos pinguior educat vlnis.
Ni labor hos inſtans, ſtimulis exerceat, & lex
Strictior, ignauo indicens ieiunia ventri.
Mentiar: his olim ſi non conamine ſtulto
Cœnobia ignauis, præbebant prandia, quot vel
Tertia pars noſtri, Agricolis vix protulit arui.
Tertia pars Monachis nam ceſſerat: hi male paſto
Ventre, alios etiam fruges conſumere natos,
Paſcebant: & iam, nil præter paſcere, pulchrum
His fuit, & nullos iam tandem paſcere in vſus:
Quos ego ſæpe meæ telluris, inutile pondus
Et ſenſi, & quotquot vel nunc, bene ſuada laboris
Munera defugiunt, indignos cenſeo victu.
Ergo age, tu (mi Henrice) decus, & gloria noſtri
Prima ſoli, cape ſceptra manu, deforme Britanno
Pelle ſolo pecus omniuorum, pecorisque magiſtros.
Sic ego nobilium nutrix non lenta virorum,
Ingenuas pergam rurſus florere per artes,
Marte potens, flauæ ſtudijsque operata Minervæ.
Dixerat & magnum his dictis cõmouit alumnum.

Ergò

Ergò vna iam voce, iubens migrare Cucullos,
Sustulit ignauis, sua sic præsæpia fucis:
Structaq; (somne) tuis, loca furua, silentibus vmbris:
Et tibi (nox) caliganti noctisque Sorori,
Inscitiæ: & quæ cum non sit, tamen esse videtur.
Nescio sed Monachis num sit, tamen esse videtur
Callida quæ ficto mentitur hypocrisis ore:
Si dubites num sit? collum saltem aspice tortum
In læuam: tam fida manus (si Dijs placet) olim
Succedens nudis, pietatis sædibus, astu
Pura peregrino corrupit dogmata cultu,
(Antoni) haud similis tibi, nec tibi (Paule) nec illis,
Deserto patribus, qui cellas ponere eremo
Gaudebant, vix radices ieiuna per ora
Sumentes, nisi quas paruo manus extulit horto,
Ipsa serens, proprio, post vota peracta, labore.
Potus erat, gelido latices de fonte fluentes,
Mensa humus. & fessis præbebant antra cubile.
Nunc igitur: monachis, qui non hæc pinguia demi
Prandia fers, veteres at saltem respice: puris

Vocibus, hi poterant iram mulcere tonantis.
Carminibus poterant, tanta est fiducia, Iouæ
Iam facili, fulmen vibrata euertere dextra.
Quid faciant isti, venter quibus est deus, & dux?
Corrigat hos aliquis? si non pessundet iniquam
Progeniem? nũ quis putre, & immedicabile vulnus,
Palliat? an potius ferro, aut per caustica prorsus
Amputat? extirpans vitij monumenta nefandi?
Que tu (quisquis eris) placatus, desine cœlo
Inserere, & tandem æterna dispunge litura.
Nam rem, relligio peperit post filia, matrem
Ditior, immemori confossam dente, subegit.
Quod pius indignum facinus, quum cerneret Heros,
Dispulit instantem maternis visceribus rem.
Orba sic euasit mater: sic filia demum
Mundano placuit, subdens se nupta marito:
Et iam fœcundo, peperit quoque filia partu:
Nixa vno geminos, meliora in fata, gemellos:
Tela manu crispat, patriæ qui militat, alter,
Alter Palladijs, hanc doctior artibus, ornat.

Infœlix (o Res) materno crimine fœlix
Prole tua: patriæ, sic pergas gignere nostræ.
Sic properent alij nobis longo ordine Reges,
Belligeros, doctosque viros, per præmia larga
Allicere: Henrico, primi stet gloria cœpti:
Tam bene sublatam, patriæ qui restituit rem.
Hic, ego si centum linguis, centena per ora
Dulce melos possem, centena voce referre,
Qualia vel Phœbi superent & carmina plectrum,
Non linguæ, non ora mihi, non carmina, centum
Vocibus, & toties Phœbeo prodita plectro,
Sufficerent, (o Rex) condigna laude referre,
Quantus eras largo, virtutum pectore fautor,
Dona ab inexhausto, manantia fonte, rependens
Cuilibet, egregie quicquam per facta merenti.
Vsque adeo (hoc dicam) nemo indonatus abiuit,
Quisquis erat, quem tu censebas munere dignum.
Et sapuisti, (o Rex) nam qualis crimina princeps,
Infracto punit castigans, verbere pœnæ,
Talis & ingenuos, debet per præmia larga

Erigere ad virtutis opus: torpere videbis
Ingenia, omnigeno pridem florentia cultu,
Si nec honos, nec res, meritis succedit honestis.
Quid faciat miles, generoso vulnere clarus,
Aduersum cui pectus obit non vna cicatrix?
Si iacet, indigno senior neglectus in agro,
Bella gerens, monstris, cum paupertate, fameque?
Quid faciat cultæ, prestans facundia linguæ?
Quid variis peregrina petita scientia ab oris?
Que vidit, queque & didicit, selecta reponens
Iam patriæ? ingrato, contra si præmia pugno,
Comprimat, has Princeps vltro qui debuit artes
Ipse domi nutrire, forisue accersere, magno?
Qualis enim catulum, lecta de stirpe, magister,
Spem nemorum, cauta paulatim inflectit ab arte,
Voce minax, nunc & castigans verbere sæuo,
Si peccat, docili sed pinguia frustra repromens,
Quum paret, catulo pariter spes, & metus instant:
Non faciat? iam fert vlulanti verbera tergo.
Si faciat? recipit laudatus frustula, & vltro,

Iam

Iam Dominus caput huic mulcens, blanditur, vterque
In statione manent: facit hic, dat & ille: catellus
Iam gestit lustrare cubilia fœta ferarum.
Dente aper, exurgatue Leo metuendus ab vngue,
Non metuit, pulchrum est vitam pro laude paciſci:
Dum fidus, domini mereatur fruſtula blanda,
Expectans, (neque enim memori ſine munere, mente,
Obiciet tantis, ſe deſperatior auſis.)
Talis in errantes Henricus durior, illos
Qui meruere ſatis, nunquam ſatis extulit: & non
Territus, exhauſti vitabat damna peculi.
Plus animos redimi, multo vel fœnore ducens,
Quàm dubio euentu, ſubiti ſi forte pericli,
Negligeret, toto quod non bene redditur auro.
Quiſquis enim cupiat fidis confidere certa
Spe foueat, dum res geritur, poſt, re bene geſta,
Re iuuet: eſt aliquid laudare, at præmia Princeps
Adiciens, medio in curſu, ſic incitat alis.
An quod ab immiti iaculatur fulmina dextra,
Iuppiter, an potius, nomen trahit ille, iuuando?

Crede mihi, non est tam plectens crimina, quam quæ
Splendida condignis dat præmia, (præstat vtroque)
Iustitia: & non dans, hoc iam pede claudicat vno.
Nam vacat annales, cuicumque euoluere, paucos
Inueniet Reges, vllo laudarier acto
Plenius, hijs, quibus a largo donun vbere fluxit.
Si neque præclarum facinus succesſit auaro
Cuiquàm: nec vicit, ſterili qui vincere pugno
Dedocuit: donatiuum caſtrenſia vota,
Vrbanæ & plæbis ſuffragia lata, repoſcunt.
Auro opus eſt: medios aurum tranſire per hoſtes
Aſſolet: ipſa necem genitrix gnati, expiat auro.
Hoc fuit Auguſto laudes quod ſtrauit: & ipſi
Iuliadæ. hoc magni titulum, profuſior emit
Magnus Alexander: ſeu quiſquis largiter almis
Ingenijs fauit: doctorum viuere princeps
Ingenijs poterit, Phœnicis ſecula raræ.
Nigrior ille licet ſit Memnone, lotus in vndis
Pieridum, exibit vincens albedine cignos,
Talis in ore virum, qualem effinxere poetæ.

Ergo

Ergo dedit: neque delicium Titus ille virorum,
Plura dedit, maiora dedit, neque promptius iſto:
Nam cito dans, bis dans, raro bis ferre petentem
Suſtinuit: multos ſpes hæc tam certa, iubebat
Ire per aduerſi, manifeſta pericula caſus.
Si capite annueret, patria vel ſi (bene) lingua
Proferret, vox hæc licet vna, ſed vnica, totum
Conficiebat: & emiſſum irreuolabile verbum
Huic ſtetit: ipſa fides tali promitteret ore.
Hoc proceres, hoc ordo etiam affirmarit equeſter
Auctior: hoc Italus dicat: fateatur Iberus:
Quiſquis ab extremis terrarum & finibus, iſti
Se dignum exhibuit: namque hoc laudatior ipſo,
Non ea non dignis, tam pulchrum tollere, duxit,
Reddere quàm dignis. vos, ó, quibus iſte perenni,
Aere dedit, placidis litare per otia Muſis,
Si qua manet facto pietas, vos, ó, decet omni
Tum ſtudio, & quo vos ornauit munere iinguæ,
Veſtrorum ingentem, ſtudiorum efferre parentem,
Laudibus: ipſa etiam reſonent gymnaſia, laudes

Structoris, Dñas regalia tecta camœnis
Structaque, regali censuq; instructa camœnis.
Ipse ego quàm vellem, digno consurgere versu,
Et mea fulmineo procurrere iam pede posset
Musa, imitata tubam, ne quicquam exilior, altam
Virgilij, aut graio cecinit qui pergama plectro.
Conscius, at medio, ponam mea carbasa cursu.
Viribus hæc non apta meis: ego stultior, instem
Fumanti solem terris ostendere lichno?
Et lusi, & satis est: vobis hæc maxima linquo,
Dia poetarum soboles, Parnassia templa
Qui colitis, multa Phœbi iuga consita lauro,
Plura loqui timor ipse vetat, vox faucibus hærens,
Abnuit, infanti resonare hæc grandia, lingua
Nam mea ieiuno si carmine, musa pedestris,
Hactenus officij memor, hæc tam paucula, tanto
Virtutum, tam non dextrè, deprompsit acervo,
Concelebranda sibi? quid vasti deniq; acervi,
Congeries faciet? Quid si nunc Regia proles,
Vel Ioue digna manus, patriæ spes trina, superstes

Magnanimo (agnoſcas cuius de ſtirpe) parenti,
Excurgat? partemque operis ſibi vendicet huius?
Spondeat hæc numeris, mea decantare Thalia,
Tam raucis? & tam nullo ſale queq; referre?
Quis pueri Edwardi ſuauiſſima pectora, mores
Ter ſuaues, pulchri exemplar, quod nullus Apelles
Exprimat, & nullo deſcribat Tullius ore,
Condigne hic pergat, non digno dicere verſu?
Quis Mariæ conſtans per tot certamina robur
Iam queat admirans, iuſto tractare Cothurno?
Semper ab aduerſis, namque hæc iactata procellis,
Indefeſſa tamen, animoſq; induta viriles,
Multa tulit, cœptique tenax, non territa manſit:
Digna quidem, quam iudicij mens certior acris,
Eligere aptaſſet, melioribus optima fatis.
Quis teneram, & niueo inſignem candore puellam,
Auguſta que fronte, oculo & micat, Eliſabetham,
Tam bene, ter magni referentem ipſa ora parentis,
Iam queat, atque pari meritis, extendere laude?
Quæ licet & generis, tum formæ munere, ſceptris

Ipſa ſuis maior, cunctas (me iudice) vincat
Quot ſunt, quot fuerant vnquàm prius, Herôinas,
Attamen, haud alio præſtat magis indice, pulchri
Quàm quod in aſpectus pulcherrima pignora, nõ tam
Quiſquàm oculos cupiat fixus dimittere fixos,
Quàm potius Diui ingenij penetralia ſacra
Suſpicere, omnigeno Muſarum prædita cultu.
Si ſpectes quæ rara placent exempla, venuſtam
Huic venus inuideat faciem ſuperata: decoram,
Huic Iuno ſpetiem, iam non Regina, reſignet:
Arte minor Pallas: huic & concedat Apollo,
Quum canit, auratæ vel cum te ſtudinis, omnes
Per numeros varians, arguto pollice currit:
Ille Deũm interpres, certet ſi interprete lingua,
Ille Deũm interpres, huic cedat munere linguæ.
Quo me Muſa rapis? iam non meus, hæc ego Phœbi
(Ipſe etenim docuit) depromam oracula ab antro.
Fœlix, o tanta genitoris imagine, Virgo,
Fœlix o ſceptris, fœlix & munere diuo
Ingenij, fœlix & diuæ munere formæ,

Reſtat

Reſtat adhuc aliquid, temet fœlicior ipſa,
Aude aliquando tui, nimium cunctata, pudoris
Vincula, fœlici, & pluſquam, conferre marito.
Parvulus vt nobis Henricus luſitet aula,
Qui bene pulcher avum referat, quo pulchrior alter
Non fuit, aut pulchris vnquàm præſtantior actis.